

Q. K. 188^a

Q. K. 188^a = 37

II a
1236

a. w.

QUÆSTIONUM ALIQUOT PHILO-
SOPHICARUM

LANX SATURA

(X 1853684)

De

SOCIETATE CALEN-
DARUM, SIGNATURIS PLAN-
TARUM, MELLE SINE FUMO, ÆTI-
TE RESONO UT ET MILTITE, LIBRISQUE
KIRANIDON, AQUIS, NITRO ET ALIIS,

Nutu

DEI TER OPTIMI MAXIMI,
indultu

Senatus Philosophici in Academia Lipsiensi,
SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI
atq; EXPERIENTISSIMI

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

DN. ANDREÆ RIVINI, Hal. Saxonis
PHILOSOPHIÆ & MEDIC. D. P. P. C. P. CÆS. Colle-
gii Principis Subsenioris, & Academiae Decemviri,
Præceptoris & Promotoris sui singulari observan-
tiâ colendi & observandi:

Apposita
ab

BIBLIOTHECA
MONICKAVIAN

HENRICO ANDREÆ MENERINGIO, Magdeburg. Saxone, Sere-
niss. Dn. Administ. Magdeburg. Alumno & Mag. G.
Ipsis Calendis Decembribus, Loco & horis solennibus ventilanda.

Lipsiæ, Typis Heredum Timoth. Hönnii, Anno. M DC IL.



QUESTIO NUM. 1. QUOT PHILLO.
ZOPHICLUM
L'ANX SATURA

SOCIETATE CALLEN-
DARUM SIGNA TURIS PLAN-
TARUM, MERIE SINE FILIO, ALL-
TE RASO NO DI ET MILITE, LIBRISQUE
KIRANDON, A GUS, NIRO ET ALIA.

DEI TER OPTIMI MAXIMI

CARI AMPLISSIMI, EXCELSISSIMI
ET EXPERIENTISSIMI

DR. ANDREAE RIVINI, HIL. SAXONIS

PHILOSOPHI & MEDICI, D. P. P. C. P. CES. COLLE-

GII PRINCIPIS SULEYMANI & A. ad. v. Decem viis,

Receptione honoraria in linguam oblatam

in colendi & obsequendi.

Appellat.

ad

THOMAS ANDREAS MENCHERINO, Magisterburg. Saxonic. 25. 10. 1710.

Magisterburg. Saxonic. 25. 10. 1710.

Magisterburg. Saxonic. 25. 10. 1710.

Magisterburg. Saxonic. 25. 10. 1710.

Magisterburg. Saxonic. 25. 10. 1710.



PROLOGIUM.

Saturam **CORNELIUS PERSII** Magister & interpretes ita dictam putavit, quia variis rebus constat, ceu sacra Lex apud Romanos lata, vel, ut quidam legunt, uno rogatu multa simul comprehendebat. Nec aliter **FESTUS**: Satura & cibi genus ex variis rebus conditum est, & lex multis aliis legibus conferta. Erat mos antiquorum, quando Cereri, Baccho aut aliis Diis agri annua vota solverent, (inquit **CAISBONUS** l. II. de Satyr. Poësi) pro lato frugum fructuumque proventu, ut primitias rerum collectarum in lancem congestas cuique Deo pro ratione ejus cultus afferrent. In ritibus Grecorum hujusmodi Sacra miscella $\pi\acute{\alpha}\nu\kappa\alpha\rho\pi$ & $\theta\upsilon\sigma\iota\alpha$ & $\pi\omicron\lambda\upsilon\sigma\tau\epsilon\rho\mu\iota\alpha$ vocabantur; Latini verò lances ita refertas variarum rerum copiâ, lances saturas, vel compendio sermonis usi simpliciter Saturas appellârunt. Satur enim pro pleno & cui nihil deesset usurpabant, sic color satur & c. A similitudine hujus lancis etiam aliarum rerum mixturas appellârunt saturas, postea ad res ingenio factas eadem vox translata est, unde Lex sacra, hoc est, miscella, & libri per saturam editi **PESCENNII**, id est $\sigma\pi\omicron\rho\epsilon\acute{\iota}\delta\eta\nu$ λεγομένων. Similimè & poemata, quæ breviter multipræstringebantur, saturæ, vel ut posteris cœptû pronounciari, satiræ dictæ sunt, quia multis & variis rebus refertæ essent, juxta **PORPHYRIONEM**, virum sine controversiâ exceptione majorem. Id vero negatum ivit **J. C. SCALIGER** cap. 12. lib. 1. Poëtic. Satyræ autem ut à Grecis & inchoatam & perfectam, non à sacra vel lege, vel lance dictam esse, ut frustra ac temerè satagant Grammatici. Quin has à Satyris dictas potius putavit. Cum lancibus enim prodibant & canistellis pomorum omni genere ple-

nis, quibus Nymphas allicerent. *Quæ ipsa quoque non minus ac Satyri hinc inde vagabantur, & istos vicissim pariterque solebant μηλοβολεῖν, quod SCHOLIASTES ARISTOPH. in Nebul. interpretatur. εἰς ἀφροδίσια δαλεάζειν, ἐπεὶ καὶ τὸ μῆλον ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερὸν. i. e. Malo petere est ad amorem pellicere, postquam & pomum Veneri sacrum est. Quorsum tendunt ista MARONIS in Eclog. III. Malo me Galathea petit lasciva puella. E THEOCR. Idyll. 5. ubi Comatas pastor canit: Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἀκλαεῖση. Petit et malis caprarium Clearista. Non amantes verò solùm pomis impetebantur invicem, sed & sub hujusmodi pretextu, ut adhuc in Hispaniâ, alii quoque prætereuntes, quin & quandoque putridis malis. Referuntur autem ab JCTis ad poma duro pariter & molli corio fructus, cum aliâs ὀπώρα & ἀκρόδρα distinguantur. Quò catum ac benè dictum CASCELLI pertinet, qui quando Vatinius, contra Ciceronis legem petiturus honores, gladiatorium munus edidisset & à populo improbante lapidibus penè obrutus, edictum ab Ædilibus obtinuisset, ne quis in arenam nisi pomum misisse vellet; Per hos dies consultus ille, an nux pinea pomum esset? respondit, si in Vatinium missurus es, pomum est. MACROB. II. Saturn. c. II.*

Hujusmodi varium cibum multifariamque conditum per Saturam hic libuit & nobis congerere, partim ceu primitias frugis nostræ & quam speramus messis Academica, quæ nunc quidem in herbâ adhuc est; partim etiam ad amicam quandam μηλομαχίαν exercendam, cujusmodi pugnam ludicram ex pomis hinc inde jactis Babylonia Alexander proposuit apud ATHENÆUM lib. 7. quâ citra cujusquam injuriam, veritatis eruendæ gratiâ poma datatim remittimus. Quam ad rem uti veri Principem, quò nos in ejus cognitionem omnem deducat, exoratum cupimus: Ita bonos cunctos Φιλαληθῆς rectæ intentioni velificaturos speramus.

QUÆ.

QVÆSTIO I.

*Qualisnam ante unum & alterum Seculum in his-
ce terris usitata Societas Calendarum, & unde sic nun-
cupata, quidq; de eâ statuendum?*

Antiquum in Misniâ Misnicâq; pridem Diœcesi
oppidum fuit LEISNITIUM, non modò castro præru-
pto arduoq; monti imposito, sed & Burggraviatu inde
vocitato quondam nobile, & ob Muldæ, radices ejus
alluētis, similesq; alias commoditates haud infrequens, sed absq;
bello hoc exitiali incendioq; nefando fuisset, incolis pariter &
convenis beatissimum, nunc autem non min9, ac aliæ sorores Ur-
bes, desolatum, nisi quod Civis & Quæstoris antea, mox Patroni
sui magni Dn. MATTHÆI BRAUNII, Ærario Electorali dignis-
simè præfecti ope & munificentia paulatim respirare & meliora
sperare incipiat, ut scil. templo egregio & pervetusto ad D. MAT-
THÆI insigniter rursus instaurato, paulò post Curia quoq; &
tota Civitas splendorem pristinum recuperatura videatur. Ha-
bentur tibi in Archivis monumenta multa vetera non vulgaria,
Majorum suorum Pietatis & Virtutis luculenta testimonia: in-
primis verò unum & alterum etiamnum superat *de Societate Ca-
lendarum*, è Clericis pariter & Secularibus personis, actu ibidem
regentibus, vicinisq; Presbyteris constante, cumq; laudabilibus
earundem consuetudinibus & ad sacra potissimum facienda in-
stitutis legationibus & donationibus à THEODORICO demum
Episcopo Misnensium ANNO DN. M C C C C LXVII. datis in
Castro suo *Stolpen* insuper literis, ut ad plura temporum cur-
ricula continuari ea possit, cõfirmata & roborata. *Quærebatur per
hosce dies, quænam & qualis hæc fuisset Societas, unde dicta & ducta, &
quem calculum, nigrumne, an niveum meruisset?* Respondebatur, so-
cietates omnibus temporibus datas fuisse, non profanas modò
Rerumpubl. & rudimenta & incrementa; sed & *sacras*, ut est illa
Jesu; ac rursus ex spiritualibus & temporalibus hominibus sive
Laicis *mixtas*, & has ferè ad majorem cultûs Divini profectum
institu-

institutas, ita ut non modò certos suos eosq; autoritate pollentes haberent Magistros, & provisores ex ipsis Magistratibus, ceu causarum piarum executoribus & tutoribus, sed & Ecclesiasticos, conscientis intendentes, vel ut Adjunctos, vel ut subservientes, & utroq; modo Majorum beneficam Religionem per posterios conservandam magis urgentes. Quæ sanè pia intentio, ut maximè in circumstantiis erraverit tenebricosorum temporum culpâ, improbanda tamen simpliciter non est, quòd non tantum suo tempore Numinis cultui, sed & futuro voluerit prospectum. Mirum verò alicui videri posset, unde & *cur Calendarum nomen adsciverit ea Christianorum congregatio?* Nam si ex parte primâ totum significante Calendas pro festis Calendaribus, quibus mensem olim auspicabantur, accepissent, illa sanè *Synodus in Trullo habita Can. 62.* dudum abrogaverat, sicuti & *καλανδολογία* non minus ac *σεληνοδερμία* & *βεντολογία* in Christianismo fuerant interdicta. De quibus consulj poterit *MEURSI Lex. Græcobarb.* Nec etiam inde dici potuit hæc Societas, quòd *Calendis sænebrem occupassent pecuniam, & beneficia in Calendario scripsissent,* quod vel in Ethnico *SENECA l. 1. de benef. c. 2. & lib. 7. c. 10.* improbavit, nec in eo veras divitias collocandas censuit, *Epist. 87.* Sed utroq; tamen modo rectè Christianeq; constituto non malè *societas Calendarum vel Calendarii* nuncupari meruit. Nam sicuti ap. Romanos *Calende* (quas soli illi, non Græci, habebant, unde *Ovid. 1. Fast. Ausonias* eas vocavit) *nominati primi mensium dies, quòd iis calarentur ejus mensis Nonæ à Pontificibus, quintanane an septimane essent futurae, quibus post novam Lunam populares, qui in agris essent, confluere in urbem deberent, accepturi causas feriarum à Rege sacrorum, scituriq;, quid esset eo mense faciendum,* verba sunt *VARRONIS lib. 5. de L. L. & MACROBII 1. Saturnal. cap. 15.*

Ita & apud Christianos illos, Romano imprimis Pontifici subditos, sodalitas calendarum modum & ordinem sacrorum, quæ singulis mensibus festa ipsis celebranda essent, quæ anniversaria recolenda, quæ eleemosynæ distribuendæ, quæ jejunia servanda, sub initium Mensis cujusvis partim accepisse, partim aliis tulisse videtur. Et tum quot mensibus etiam conviviolum sobrium

brum post memorias sociennorum defunctorum habitum fu-
isse ex alterâ institutione Germanicâ Gregorii Sartorii anniversariorum
de Anno MDVI. apparet, eumq; in finem, ut scil. sumptus sup-
peterent, certaino Calendario destinârunt pecunias, Prætorio, præ-
tiis, agris impensas, ut inde quorannis, imò per singulos Menses
de variâ sorte, reemptionis titulo, census abundarent. Sicuti
quoq; in aliis similibus causis videmus fuisse astitatum hujus &
illius societatis, quæ ut ex PAPINIANO FREHERUS scitè exponit, vo-
luntaria dici posset fraternitas, sicuti fraternitas necessaria societatis.

QUESTIO II.

An ex signaturis Simplicium certum & infallibile quid colligi
liceat, & an semper secundum istas hæc appropriata sint illis humani
corporis membris & affectibus, quorum figuram exhibeant?

Quæquam Physica Specialis, & quæ illi innixa est, Medi-
cina, si qua ulla disciplina alia, semper fuerit σοφασμένη
ita ut qui benè conjecerit, hunc vatem (Medicum) perhi-
bere possit optimum, non modò circa morborum indicati-
ones, sed & remediorum: quæ posteriora solerti primum ra-
tionis indagine è natura elici, deinde frequenti experienciâ com-
probari atq; sic ad artem constituendam utrinq; cumulari oportet:
attamen, ut in Logicis signum imperfectam abortit rati-
ocinationem pariter ut & exemplum, sed multorù signorum per
exempla roboratorù concepta in dñctio, si non detur contrarium,
universalem tandem, ceu foetù suis partib; & membris absolutù,
progignit collectionem. Jam verò sicuti Syllogismus Apodicticus
Enthymemate aliquo Topico ἐξ εἰκότων καὶ σημείων saltem agen-
te longè concludit fortiùs: ita quoq; jam dudum secundum in-
sitas qualitates, seu manifestas, seu occultas, & explorata & peri-
culis factis confirmata vegetabilium subsidia certiora omninò
sunt illis, quæ non sine vitæ sæpe discrimine tentanda & experi-
unda adhuc propinantur ob levem aliquam signaturæ cuiuspi-
am suspicionem & conjecturam, quæ incerta pro alteris illis non
sunt eligenda. Imò verò eligenda, regerat aliquis. Nam si in-
fallibile aliquod signum in hâc vel illâ plantâ vires suas intima-
verit, idq; postea indicationi suæ respondere usu compertum
fuerit,

fuerit, non minus ac alia recepta recipiendū & ipsum, quin & aliis præferendum videtur, propterea quòd his notis à natura neq; frustra neq; temerè herbæ credantur insignitæ. Verum enim verò tametsi nulli negemus, dari rationem aliquam ex signis quibusdam externis investigandi facultates & affectiones internas naturales, non in animalibus modò, sed & in ipsis vegetabilibus, ut ubicunq; signum huiusmodi sit, ibi & affectio & qualitas certa reperiatur, & hæc duo inter sese plerumq; recipiuntur. At quia experimenta ista lubrica sunt, ita, ut tametsi unum signum adsit, unius qualitatis, forsitan tamen & aliud sit alterius, isto præstantius, & fortius, à quo prius obtundatur. Quare ultimo loco *in calce lib. 2. prior. Analyt.* ARISTOTELES de imbecilli hoc *Syllogismo Physiognomico*, vel veriùs *Entbymemate* saltem eiusq; requisitis & vi inferendi egit. Inde jam haud leve inscitiae argumentum videbitur, ex solâ simplicium figurâ externâ, quatenus cum hominis membris & morbis analogiam qualemcunq; & similitudinem præ se ferat, de eorum facultatibus certi quid determinare, cum accidat, ut una Planta vel ejus pars aliqua plurium simul partium exprimat qualem qualem convenientiam. E. G. *Radicem Aristolochie rotundæ* QUERCETANUS ob *cavitatem Utero dicatam* asserit, quasi non posset etiam stomacho & vesicæ, eandem ob causam esse appropriata. Quin hoc potiùs verum est, plurimas herbas cum floribus & radicibus huic vel illi membro ejusq; morbis convenientes esse, nec ullum tamen partis illius & ejus affectuum referre characterismum. Adde quòd eadem nonnunquam species vel figura externa in unâ plantâ fugam illius suadeat, in alterâ appetitionem: Sic *in Nappello, galeam representante*; talem capiti, tanquam contra hostem virulentum manifestissimum imponendam volunt indicari, antequam ipsum attingas. At *in Anthora* eadem forma, veluti cassis, contra venenum armatura putatur hominem. Et si ob talem aliquam convenientiam v. g. coloris arguendum sit, quod *corallia* sanguini depurando, *santalum rubrum radicesq;* *tormentille* hæmorrhagiis reprimendis esse debeant, inferri posset, & illa quæ lacte fluunt, ut *Tubymallus* & *Esula* ad mamillas, & lac purgandum

dam facere debere. Et nolumus hic levisimum responsum inter vegetabilia & animantia conferre. Dicitur planta inversus homo, ergo omnes radices cephalicæ essent futuræ & capillares. Sed ipsa ratio dicitur, nihil universale ex hisce prolectari posse, sed esse & manere conjecturas, & non nisi crebris experimentis corroborandas, si quid ex illis præsumi & subsumi debeat, an huic vel illi corporis parti & affectibus ejus, quam exprimere quomodo cunq; videtur, conducat, ut certiores omninò sint, quæ ex sapore & odore sumuntur indicationes, præsertim jam tum experientia suffultæ & confirmatæ. Proclives nihilominus & ipsi sumus erga PHILOSTRATI opinionem sive Jarchæ Indorum sapientissimi, qui herbarum potestatem ac naturam divinatione præcognitam arguit libro de vita Apollonii III c. 14. laudante quoq; STEPH. FORCATULO Gall. l. 1. pag. 71.

QUÆSTIO III.

Quid sit mel sine fumo, & an legendum sit cum

D. T. R. mel sine fuco?

GRato profectò ab omnibus Eruditis, Medicorum inprimis filiis acceptandum fuisset animo, siquidem *vir Ultrâq; linguâ Clarissimq; D. Th. R.* seriò se ad emendandos & commentandos varios Autores, Archiatros potissimùm Physicosq; Priscos & seculorum quoq; sequiorum, sufficientibus necessariisq; mediis accinxisset, ipsos ante omnia Scriptores sibi & quidem ex optimis quibusq; editionibus parâisset, & eos priùs pervolutando familiares sibi satisq; perspectos reddidisset, quàm usq; adeo temerè, saltem ad doctiores alios nulla fermè causa perstringendos & deprimendos, ipsis etiam, quos corrigit & corripit, destitutus libris prorupisset. Jam verò in omnibus plagulis animum suum Theoninum & dentem caninum, cum maximà propriæ turpitudinis allegatione, foricis instar prodidit, cum non modò multos nunquam, nec pertransennam quidem, nisi quatenus ab aliis particulatim citati sunt, vidisset auctores, aut saltem non genuinas aliorum divulgationes, sed & contra illos quorum beneficio aliquid saltem ipsi innotuerat, nihilominus tamen insurrexisset, veluti Andabata quispi-

B

am,

am, aërem citius, quàm hominem ullum feriens, certè nullibi scopum suum contingens, ut non nisi imprudentibus sive simili-
libus ipse imponere possit. Nil proinde mirum fuit, si nec *Illu-*
stris Dn. BARTHIIUS, nec quisquam hujus amicorum, quos cum
summis hujus seculi viris, in peculiarem & quidem *VIII. syllabum*
redactis arrodendos sibi sumpsit, hactenus ipsi respondere volu-
erit, secundum Panfophiam istam suam, ne videretur soli sibi sa-
pere. Omnes puta & singuli baubatus illos risu potiùs, quàm irâ
dignoscensuerunt, lubenti animo ipsi permittentes, ut in lapi-
de aliquo sibimet à se ipso objecto genuinum frangat, salvâ ma-
nente cujusvis prius rectè quæsitâ gloriâ, quæ non veritatis &
causæ melioris studio, sed illustrioris splendoris odio, & solo
maledicendi vitio ridiculè ab illo esset impugnata, & quidem
veluti à Partho fugitivo. Nam quod maximum hîc fuit & o-
mnem refutationem, quam nullibi non meruisset, inhibuit, ejus
ipsius est inconstantia, dum fermè nescit, quid ajat, vel neget, &
plerumq; pedibus potiùs, quàm manibus Pinnirajus certare sta-
tuat. Quis verò hominem toties sua recoquentem, interpolan-
tem, revocantem, & Protea in omnes se fingentem formas ado-
raretur? Ipse sanè palàm pag. 623. *variationum suarum* confiteri
non erubescit, *cum larvis luctaturos & inanem illos operam sumptu-*
ros esse, qui illum confutaturi essent, antequam omnia sua publicasset,
quorum quid probaturus, quid improbaturus extremum esset presciri
nondum posset, dum ipse adhuc quæ alius fortasse carpturus esset, ea cor-
rigere deuterègus Peggioris suâ sponte posset, & tam frustra foret corre-
ctor alius cum suâ animadversione, ea objecturus, quæ ipsemet R. in se-
quentibus libris esset revocaturus. Quamvis autem in eo planè *INERS*
(ut nomen ejus Germanicum κατ' ἀναρχαμνα τισμὸν sonat) imò
prorsus ridiculus videatur, dum aliis in sese licere istud noluit,
quod ipse nequaquam illis, adhuc etiam viventibus, permittere
voluit: Attamen vel eo ipso, quod usq; adeo tergiversaretur hic
non tam Ephecticus, quàm Pyrrhoniùs, ignarus omnino quid
statueret, paucos sanè confidimus illi auscultaturos esse pro-
pterea, quòd metuere semper eos oporteat, ne quæ semel de-
finisset, postea retractaret. Sicuti videmus ipsum in editis istis
non

non modò integris denuo reeufis capitibus, & hinc inde mutatis
sententiis fecisse, sed cum primis à pag. 677. usq; ad 695. nil nisi pa-
linodiam antea pronunciatorum cecinisse, & culpam præcipi-
tantia suæ, cum alicubi indulgentia caloris, nonnullibi supinitate, in-
terdum ambiguitate & perplexitate aridissimâ peccavisset. Quibus ad-
ditiunculis, imò verius retractationibus supersedere potuisset, si
tot schedulas suas & folia Sibyllina melius coaptasset, & informè
ursum suum prius lambere, quàm effundere statim abortivum
voluisset. Quia tamen nimis quàm diu cum posteriore varia-
tionum & retractationum suarum tomo emanet, unam saltem &
alteram ex VALERIANO PLINIO post exhibebimus, ut
quantopere sibimet in hisce contradixerit, appareat omnibus.
Apud PLINIUM SPURIUM lib. 1. c. 18. mel stillativum, atq; iterùm
mel stillativum sine fumo ad oculorum vitia commendatur, ut &
hoc ipsum c. 20. & 22. (nequaquam verò, ut R. iterum falsus est c. 21.)
atq; sic pulegium quoq; sine fumo c. 37. Myrrha succum sine fumo c. 51.
Pulegium annotinum sine fumo legitur. Inde easdem species fumigatas
etiam in usu medicorum fuisse arguere voluit BARTHUS lib. 1. cap. 14.
quod in usu hodie evitasset. Hæc verba R. pag. 185. planè pervertit
pro natura suâ, & hoc exinde infert, quasi Dn. BARTHUS mel
pro suffumigio usurpatum fuisse exinde censuisset, quòd argumentum li-
cet ab ingenio, ut semper, non vulgari profectum, imbecillum tamen, ut
sæpè & Rhetoricum esse dicie. Atq; postea pluribus in eundem
invehitur, quasi fumum una emittere, non modò repugnet natura mel-
lis, sed redarguatur ipsa sensuum evidentia, licet istud ob pingue aëreum
plurimum ignem concipiat, ut inter probas (ita ille loquitur) incor-
rupti habeatur, si accensum luceat. APITIO l. 1. c. 17. Unde tamen
colligi posset iterum à contrario, corruptum v. mel accensum nō
lucere, sed fumigare, atq; ita adhuc staret illa fumigatio ipsius
mellis, neq; vani fuissent veteres, si corpus haud plane ἀκαρπυον
ad suffimenta adhibuissent, cum nec cera illi commixta planè sit
sine fumo. Sed benè se habet, R. facit ne intelligendo, ut ni-
bil intelligat. BARTHUS hoc nuspiam dixit, mel ad suffumi-
gandum usurpatum, sed mel in Medicina adhibitum non minus
atq; myrrham & pulegium vel sine omni fumo, vel etiam cum

aliquo suffumigio, non ipsius mellis vel myrrhæ incensione, sed
aliarum specierum, quibus illa fumigetur. Ecquis enim nescit
absinthii & pennarum accensarum nidore imò fœtore apes coër-
ceri in ipso alveari, cum mel eximatur. Atq; ita ἀκαπνον non
modò est, quod ipsum non emittit fumum, sed etiam quod sine
alieno fumo est. Uti vice versâ domus fumosa est, non quæ i-
psa fumiget, sed quæ fumo lignorum humidiorum denigrata &
obducta est. Nec aliter APULLEJUS de virtutibus herbarum c. 30.
explicat, cum ad oculorum caligines uti jubet *Lactuca sylvatica*
succo in melle acapno id est sine fumo collecto. Pluribus verò describit
PLINIUS MAJOR lib. 11. c. 16. cum eximuntur mella, apes abigi
fumo utilissimum, ne irascantur, aut ipsæ avidè vorent. Fumo cre-
briore etiam ignavia ea excitatur ad opera, nam nisi incubavere, fa-
vos lividos faciunt. Rursus nimio fumo insciuntur, quam injuriam celer-
rimè sentiunt mella, vel minimo contactu roris acescentia. Et ob id
inter genera servatur, quod acapnon vocant. Cur igitur hîc etiam
nō consuluit & evoluit PLINIUM MAI. quod toties objecit BAR-
THIO, ne in tam stolidam erupisset correctionem p. 186. & te-
merariam istam definitionem. *Menda, inquit, in manifestissimo est,*
& improbabile igitur etiam id, quod lectione falsâ nititur. Mel sine fu-
co, h. e. ἀκέραιον, sincerum, non adulteratum, & quod castum ap-
pellat APICIUS l. 7. c. 11. substituendum est. Ita myrrhæ succus sine
fuco (nam & hîc fumum excludimus) est myrrhæ lachryma ἀδολῶς,
pura ut vel extillat è vulneratâ arbore vel exprimitur pinguis, stacte di-
cta, sine ammixtis extraneis vel vitio aliquo & omnium laudatissima.
Hæc ille. Sed cur non etiam pulegio fumum demit, quod BAR-
THIUS tertio loco posuerat? an quod illud fucum non admit-
teret? Quod si ergo pulegium fumigari potuit, utiq; & mel po-
tuisse, præsumendum ipsi fuisset, & myrrham, neq; sanè adulte-
rantur hæc, tametsi aliud genus altero sit laudabilius. Sed ce-
ram ille pro fucis mellis habuit, nescio, ubi ita fucetur? Quin o-
mne mel priùs cum cera est, à quâ postea separatur, & sic o-
mne postea sincerum & ἀκέραιον dici potest. Atq; ab improbo no-
ris quibusdam distingui addit, à viliore puto intelliget, sed id ta-
men non fit cerâ, verùm si abrumpantur statim & resiliant gutta, si
per se non fluat, sed concreseat, si non sit odoratum, ex dulci acre, non
glu-

glutinosum, nec perlucidum. Ut iterum PLIN. lib. XI. c. 15. quem frustra, & contra se allegat R. E quo ipso tamen PLINIO errorem suum non deprehendisset, nisi KIRANUS Dn. Præsidis, non quidem ex editione Lipsiensi, quæ nulla unquam fuit, sed Halensi, licet à Bibliopolâ Lipsico Francofurtensi ipsi communicatus, supervenisset, qui toties *mel sine fumo ad oculorum nebulas, caligines & hebetudines* inculcasset, quem licet Barbarum Interpretem passim ille fugillârit, ejus tamen causâ mirè variantes suas varias Lectiones non mutavit modo, sed fateri quoq; vel invitus coactus est, quod & Kirano & Rbyakino aliquid debeat, dum mel istud sine fumo ipsi quoq; R. suos aperuisset oculos. Sed ne turpiter revocasse videretur, adhuc illito atramento, veluti sepia, evadere, & errorem Dn. BARTHIO denuò impingere expetiit. *Sed neq; sic* (inquit pag. 90.) *è melle sine fumo exit, quod volebat iste, apud veteres mel fumigatum in usu Medicorum fuisse. Tales σοχασμοὶ ad veritatis Seirenix Solem*

ἠκύνουρρι καπνοῖο δινυ ἀρθένας ἀπέπτω

Sed Sophista statum quæstionis jam mutavit, cùm namq; antea dixisset, BARTHIIUM mellis suffumigium, veluti thuris aut succini, statuisse, jam verò largitur, illum *mel fumigatum in usu Medicorum etiam posuisse*, quod tamen neget & perneget, suo tamen ipsius gladio confodietur. *Mel ἀκάπνιστον & non fumosum, quod è fodiinis in manus quasi decurrebat, indi consuevit oculariis Medicamentis, utpote non infectum fumi maleficâ oculis qualitate, juxta AETIUM tetr. 2. f. 3. c. 48. & 99. PLINIUM VALERIANUM & KIRANIDAS.* Inde verò non sequitur, nullis aliis morbis, nisi oculorum, adhiberi posse mel, & istud quidem alterum genus, quod in alveis suis congesserunt apes, quod ex his lecturi opus habeant fumo opifices istos exturbare. Talia namq; duo mellis genera ipsemet R. atq; illis ipsis quidem verbis stipat. l. cit. l. 3. c. 4.

QUÆSTIO IV.

Quid de Kiranidon libris sentiendum, & de Aëtite lapide, inibiq; propositis affectionibus, ut & de Miltite?

Pratædus Variar. Lect. Auctor cùm tres earum libros publicans typographo suo Palæopyrgico diffideret, partem Lipsiensi alteri excudendam dedit, qui sine percensione illam impri-

mere cum non auderet, rem cum Clariss. Preside communicavit,
atq; sic aliquot quaterniones excudit, paulo post tamen, quod
contra summos & eruditissimos Viros meras invectiões conti-
nerent, inhibitus destitit. Ex eo Barthiastros inter & Editorem Ki-
ranidôn sibi iste lacerandum sumit, atq; propterea aliquot capi-
ta in fronte lib. 1. immutavit, incrustavit, & ita quædam sepo-
suit, ut cum meliore ratione præposita essent, ad librum demum
tertium p. 556. rejicerentur, & eorum loco, quæ infra demum per-
tractata & collocata fuissent, ea ἠλαυνγὲς πρὸς ὄψωπον factura oculi-
ferii vicē subirent; qua in re usq; adeo sui oblitus fuit, ut p. 7. citaret
illa quæ infra cap. 5. lib. 2. p. 154, 155. posuisset, tanquam supra jam
adducta. Sicuti & c. 11. libri 1. laudat caput 1. ejusdem libri De Vau-
ra vel Mastaurâ, quod tamē nunc est 13. c. 1. 3. & p. 557. infra non su-
pra (ut ait) legitur. Ex quo sanè manifestum fuit, totum il-
lud cap. 2. ex æmulatione adversus DN. BARTHIIUM intrusum fu-
isse, ne uno omnia loco effunderet & effutiret, cum lib. 3. Editori
Kiranidôn nominatim in capillos involate cuperet, qui ipsi Cercy-
on est, cum nemo magis hoc titulo, quàm ipse inventor dignus
sit. Quod namq; præclaros & eruditos viros cupit æmulari, hoc
simiæ & Cercopithecæ habet; quod eosdem & bonos quosq; qui
nec dicto nec facto ipsum unquam vel minimo læserint, alla-
trat, mordet & laniat, hoc Molossi est degeneris, qui caudam sub-
trahit, reflectit, & ubi minimè metuas, insultat. Fatetur Cercy-
on, sibi quoq; salivam motam pridem fuisse, postquam à CL. BARTHIO
lib. XI. Adversar. c. 17. significatum nobis fuisset, librum Physicalium
virtutum, compassionum & curationum Kirani & Harpocratonis esse
Mscriptum in possessione HENRICI ELLENBERGERI Archiatri Mag-
deburgici, quem quod videretur sacra antiquitatis portio qualiscunq;
esse, à se diu dicit desideratum. Idem quoq; cum Dn. Preside usu-
venisset, & à tot Medicis ipsum flagitari vidisset, noluit spem ipso-
rum insigniter deceptam diutiùs frustra esse, non igitur, quod iste
mentitur, fucum immanem cuiquam fecit, sed potius dempsit, neq;
murem pro Leone ostentavit, sed ut ille, quem tot montes parturire
videbantur, tantò magis ridiculus appareret, non potuit non i-
psum, prout invenit, omnibus videndum & ridendum propina-

se. Cumq; nullam Laureolam ex hoc mustaceo speraret, nomen
suum libens meritoq; dissimulavit, ita tamen ut facile curiosiori
liqueret; Græcum namq; pro Latino aut Germanico supposuis-
ne Cæsareæ Majestatis dictis injuria fieret. Sed ut ipsum magis
lædere R. & ut speravit, confundere posset, Editoris nomen
absq; personâ prostituere sategit. Cumq; diu ut Canis lacerâs-
set, caudam tandem p. 588. ita jactavit: *Hæc ut quæq; digna vide-
bantur in isto quantivis pretii libello ad censuram vocari, ita à nobis
carptim accepta atq; proposita.* In quibus si quid præter Editorem
virum bonum & non illiteratum præspuimus, nihil temerè, nihil ma-
lignè fecisse putari debemus, & parati esse, quæ semel placuere ab ad-
versis sententia omni reâ arg; honestâ ratione defendere. Scilicet
optaverat id unicè, ut quando à Maximo BARTHIO ceu equo
generoso latratus iste contemneretur, uti alter saltem illi9 amicus
commoveretur, cumq; diu ipsum ut *cercyonem, confidentem, o-
stentatorem, liberalem unici manuscripti exhibitorem &c.* vituperâs-
set, hîc palpo ferire maluit, ut non convitiis sed veritate pro-
vocâsse videretur imprudentioribus; invicem tamen illa conten-
dentibus cautioribus, vel judicii, vel integritatis & honestatis
passus appareret jacturam. Sed ne & ipsi criminationibus con-
certemus, videamus quantopere plures suo ille editionem hanc
emendandi & commentandi labore adjuverit. καὶ γὰρ αἰτὸν ἰπτα-
σαι & διδάξω, ἀλλὰ τὸν αἰτὸν κἀνθαρῶ ὦν μαεύσομαι. Et pro-
pterea quod è DIOSCORIDE AUTOR KIRANIDÔN duas pe-
culiarium affectionum nomenclaturas in aëtite exposuerit, dum
gravidum & resonum dixisset, non credo. Ille namq; lib. 5.
c. 161. cum scribit: *Αἰτίτης λίθος ὁ ἐν τῷ κινεῖσθαι ἤχον ἀποτε-
λᾶν, ὡς ἐτέρας ἐγκύμων λίθος ὑπάρχει. Aëtites lapis alio dum qua-
situr intra se & velut in utero sonante pregnant, gravidos partus conti-
net sinistro earum brachio alligatus, sed cùm parturiant femori alligetur,
ut citra doctores pariant.* Annon igitur aëtites gravidis aptus est,
tam ante partum, quàm in ipso enixu. Viderat id R. itaq; præoc-
cupavit & de effectibus nihil voluisse hoc loco nostrum dicere causatur,
cujus tamen librum potissimum curationibus & virtutibus Physicis
sciverat vel à titulo attributum. Itaq; emendationem alteram
atten-

attentatam magis risit, quod *aëtites non possit esse gravis, qui & ovi magnitudine & cavus insuper foret.* Quomodo hæc gravitatem hic intellectam prohibeant, vix quisquam capiat: Non negavit *Editor Kirani in l. 3. Coronide*, aëtiten quasi alio intus lapillo prægnantem, quod non **DIOSCORIDES** modò ab ipso allegatus lib. 5. Sed & **ALDROVANDUS ornithol.** pariter laudatâ multis probant; sed quia hujus affectionis altera consequens est, quòd sit resonus, ut qui hanc dixerit, priorem etiam simul innuat; quare sicuti idem **KIRANUS** contentus fuit p. 115. dixisse quod *aëtites lapis, qui ad tactum de intus sonat, servet in alvo fœtus, & non sinat abortivos fieri, cum sit velocis partus*, unde & pag. 65. pariter dixerat: *Okytokios i. e. velociter pariens: lapis est minor aëtite & resonus*; ita ut utrobiq; saltem *resonum* dixerit, tanquam alteram juxtim involvens affectionem, pro quâ affectionem potius ejus, quod ad partus & gravidis sit aptus indicavit: ita quoq; in principio elementi primi scriptum videri posset: *Aquilinus lapis gravidis aptus & resonat*. Idem *R. l. 3. p. 552.* apud **GARIOPONTUM l. 3. c. 1.** in fine: *Pyritem ferventem splenis affectibus supra positum vebementer profuisse, idemq; posse & lapidem militis, corruptit & mutavit in lapidem molarem.* Sed p. 691. dicit, *selectionem editam non sollicitatum fuisse* (cùm jam tum sollicitasset, protestatione facto contrariâ) quod hisce scriptoribus etiam quendam lapidem militarem dictum fuisse scivisset, scilicet. Ita enim *Silvaticus c. 452.* *Lapis militaris id est Lapis pyrites.* Cùm verò jam ante *pyritem* nominasset **GARIOPONTUS**, non visum fuit *R.* verisimile, quod *militarem*, qui & ipse *pyrites* esset, etiam nominare voluisset, & proinde adhuc vult videri nescire, (scilicet ne revocare priorem sententiam apparet) quænam lectio præferenda sit, & annon *molaris* debeat retineri, quasi non æque & hic è pyritarum genere esset. Cur verò non potius *lapis militis* credi posset ex eodem **PLINII c. 19. l. 36.** *Melitites, cujus nomen habes ibidem, vel milites utilis ambustus & ad omnia utilior rubrica?* de quo cap. seq. 20. *ibid.*

QUÆSTIO V.

An Aqua sit alimentum, & quænam salubris, vel contra?

Quidq; Nivate & Nivose vel Nivali intersit?

Neptuno,

Nepituno, Maris Deastro *sceptrum tridentis* antiquitus concessum, *triplicem aquae proprietatem ostendit, quod sit labilis, nabilis & potabilis*, uti post FULGENTIUM l. 1. *Mythol. c. 4.* BOCCATIUS *Geneal. X. 1.* exposuit. Aquae namq; liquorem primum fuisse potum mortalium, omnium consensu manifestum est, diuq; eo solo contentos fuisse, in illâ scil. innocenti orbis infantia, nullumq; aliud sitis remedium quærebatur, quàm ab aquâ: postea, moribus inclinatis, & vitâ in deterius vergente, præter vini inventionem, coeperunt homines etiam aquae ebrietatem docere, eam infinitis penè ingeniiis adulterantes, quæ enumerare nemo, ut opinor, mortalium queat, nec aliâ in parte vita ingeniosior quondam fuit, nec videtur hodie, quàm in excogitando quonammodo aqua inebriet. Quoquo enim terrarum te veritas, illic aquae liquorem aliò infectum succo reperias, ut hominis mentem mutet: illos nempe potus meracos hauriunt, nec diluendo, ut vina, mitigant. Quanta etiam quanta aquarum cura in vitâ habenda, ex rerum naturæ sagacissimo Interprete & omnium bonarum luce ARISTOTELE videre possumus in suâ *Politiâ*, ubi *in Urbe condenda & benè instituendâ Secundas aquarum curas tribuit*: quoniam earum usus & plurimus & frequentissimus, multiplexq; ac necessarius in totâ vitâ spectatur. Quin viri graves, qui de Architecturâ commentarios in lucem emisertunt, in primis tradidère præcepta ingeniosaq; & artificiosa inventa, quibus aquarum ubertas tum vicis, pagis, arcibus atq; etiam inclytis & amplis urbibus abundaret ac suppeteret. Quanam autem aqua saluberrima & optima ad potum, cum magna sit aquarum diversitas, dum *quedam fontana, alia fluvialis, alia pluvia, alia lacustris & paludosa, alia nivosa*; id nunc ventilandû. *Fontana* illas aquae conditiones maximè habet, si sit selecta. Non enim omnes aquae fontium æquè bonæ ac salubres sunt. HIPPOCRATES enim *lib. d. aer. ag. & loc.* eas maximè commendat, quæ *versus Ortum Solis præcipuè æstivum, scaturiunt, cursumq; suû dirigunt.* Contra fontium *scaturigines è petrâ exeuntes & versus Septentrionem fluentes a versumq; Solem habentes, inutilem habent aquam.* Omnium præconio ij putei præferuntur, quorum aqua hyeme *calent,*

C

calent,

salent, astate algent, & crebro haustu tenuantur, quique non nimium al-
si & Solem aërisque succum recipere possunt. BRUYERINUS lib. XVI.
de recibar. c. 9. At idem Francisci I. Regis Galliar. Medicus de quo-
dam fonte juxta Montem Pessulanum lutei coloris exitiali retu-
lit eod. lib. c. 17. Quocirca fluviorum aqua, ut magnâ ex parte
fontana, (ex fontibus enim pluribus confluentibus flumina ori-
untur) aut quia non omnes fontes, qui in aliquem fluvium con-
fluunt, ejusdem planè sunt naturæ, mixtam naturam habet aqua
fluvialis. Sunt quàmplurimi, qui aquas pluvias reliquis præfe-
runt, præcipuè eas, quæ tempore æstivo cum tonitru primo de-
scendant, & non sine ratione, nam sunt levissimæ & tenuissimæ.
Stagnantes aquæ omnes & palustres longè pessimæ sunt, quòd stent,
aut pigro saltè motu moveantur, hinc facillè putrescunt, sunt cras-
sæ & crudæ & sæpè malignæ ac pestilentes. Aqua ex nive & glacie
damnantur, ut crassiores & ponderosiores, dum n. humor vi fri-
goris congelatur, densatur & in nivem aut glaciem concrevit,
subtilissimæ & tenuissimæ partes in illo ipso compresso evane-
scunt & exhalando diffantur, retrimentis quibusdâ & fecibus ve-
luti aquæ remanentibus. Præterea insignis quædam & notabi-
lis in iis est frigiditas, quæ ventriculum afficiens lædit. Unde &
apud ECKIUM aqua puteorum altissimorum equis, nisi prius fla-
gellata, præberi non suevit, quo motu fertur calefieri, & frigus
nimium deponere. Optima autem & saluberrima aqua est,
quæ & visu & olfactu pura ac sincera esse deprehenditur: quæ
nimirum visui apparet limpida & pellucida, & nullius rei sapo-
rem & odorem gustui vel olfactui offert. Consentiant Philo-
sophi pariterque Medici prudentissimi & eruditissimi, optimam es-
se aquam & saluberrimam, quæ omnis qualitatis prorsus sit ex-
pers. Certissimam verò salubritatis spem promittunt aquæ, quæ
citissimè calefiant, refrigeranturque auctore divinissimo HIPPO-
CRATE Sect. 5. aph. 26. Aqua, quæ citò calefit, & citò refrigeratur,
levissima. Sed ad quæstionis alteram partem, an aqua sit alimen-
tum, Usus aquæ omnium animantium generi utilissimum esse,
præsertim verò humano perquam necessarium nemo nega-
verit, utpote sine qua vita nulla sit: quare severa antiquitas iis,
quos

quos acerbè punitos volebat, interdicebat aquâ & igni. Unde non immeritò VIBIUS SERENUS exilio damnatus, infulas asperratus est, quæ essent aquarum egentes, dicens, *dandos esse vitæ usus, cui vitæ concederetur.* Esse autem aquam alimentum, attestatur ARISTOTELES, qui non uno in loco asserit, aquam non solùm esse potum, sed etiam corporibus alimentum: Sic scriptum reliquit *lib. 1. problematum 15.* ubi rimatur, *cur mutationem aquarum gravem, aëris verò non gravem esse affirmant? An quòd aqua corporibus alimento est, quo jam habito, complexog, peregrinemur; Aër autem se nullo exhibet alimento?* Sunt autem, qui contrarium statuunt, & utuntur illo argumento: Nullum omninò simplex nutrit, sed quæ nutriunt, cum aliis permixta sunt. E. Illud autem non veritati congruum. Experientia enim aliter monstrat. Nec aqua aut ullum Elementum usq; adeo purum datur, quin aliquid de aliis participet, quod fœcunditas undæ probat, & ideò ciborum concoctionem liquiditate suâ juvans omnino junctim quoq; & ipsa nutrit, prout *Elementa* quoq; *sibi ipsis* veluti sunt alimenta juxta TURNERUM. Hinc & J. L. VIVES *lib. 1. de anima* scribit, *Marina aqua sola putantur sustentari Mene, crassiusculum ex eâ sumentes.* Et mox: *Inter animalia ut quæq; sunt crassissima validiorem habent in densâ materiâ calorem: Ita rudissimo est eis & crassissimo alimento opus, ut sub Septentrione & equi & asini, quin equus poturq; aquam pede turbat, si fortè sit liquidior: scilicet non est conveniens ei alimentum adeò tenue.* Fatetur ergò aquam & ipse esse alimentum. Consideremus tantum abstemios, nonne illi nutriuntur aquâ, nam si aqua inviniis non esset alimentum, quomodo illi vivere atq; crescere possent? GALENUS pueros aquam tantùm bibere voluit; quoniam vini succus præterquã quòd nihil illis conferat, gravissimè nocet, (Græcum scil. istud vinum & in regione tam calida intelligit) ideoq; à cibo & per fervores illis potestatem faciens frigidam potandi consulit, ne oleum igni addat. Ob parilem quoq; rationem THEODORUS PRISCIANUS I. II. c. 12. *Cardiacis aquam frigidam per intervalla subministrabo, & si ætatis adhuc vapor calidior coegerit, nivatas non aspernabor.* Ubi D. T. R. pro ætatis scribi oportere voluit æstatis

quòd æstivi fervores quàm maximè resolverent *lib. 3. var. lect. c. XI. p. 523.* Sed pag. 690. in *Epilogo retractationum* errorem agnovit, cum in omnibus GARIOPONTI editionibus, qui caput istud Theodori de Diaphoreticis integrum in suum *de febris librum loc. 24.* transtulisset, constanter *etatis* (statae & adolescentis) *vaporem* legi vidisset. Notandum verò & istud, hinc per *nivatas* subintelligi *aquas non ex nivibus factas*, uti quidem ISIDORO in *Glossis* visum, sed *nive & glacialibus crustulis injectis frigefactas*, sicuti apud PETRONIUM quoq; legimus: *pueris nivatam infundentibus*, id est, nivibus infrigidatam, quæ contingit sine vitio nivis, ut ait PLIN. *lib. XXXI. c. 3.* & proinde differt *nivata* ab alterâ *nivosâ* vel *niveâ* ex nivibus dissolutis, aut cum nive colliquefacta commista aqua, quam paulò ante effundendam, non bibendam duximus. Nam pessimam ac corporibus perniciosissimam esse, non ARISTOTELES modò quasi oraculo edidit, sed & eorum, qui palato obsequi, quàm illius autoritatem sequi malunt, quotidiana experimenta declarant. Quæ nivis potæ incommoda ut evitentur quodammodo & æstivis nihilominus mensibus frigida bibatur, vasis duplicibus uti solent Itali, è tenuissimâ laminâ eo artificio factis, ut vinum vel aquam quæ potui paratur, omni quidem ex parte nix ambiat, sed eorum tamen neutrum contingat, neq; cum eis commisceatur. Vid. MURETUS *Lib. & Cap. IX. variar. Lect.* qui probat, sed & BARCLAJUS *lib. V. Argent.* reprobans, *potæ glacie circumvenienti inserta*, & pocula simili hyeme refrigerata, *rigorem & febrem stomacho ingerentia.* De aquâ v. Nivali etiam calefactâ at æquè noxiâ, ac si epota sit frigida, MACROBIUS *lib. VII. Saturn. cap. 12.* inspicere poterit.

QUÆSTIO VI.

Quare NITRUM calidum & siccum temperamento tantopere refrigerat in aquis tepidis eliquatum?

Superiore Quæstione AQUAS NIVATAS habuimus, ut quibus fluxibus, videamus & Nitras ob eundem finem, ut scilicet in æstu pocula & vascula cum potu citò & facile valeant refrigerari: Quod AMADISI quoq; execrandus Auctor factum

memi-

meminit. Mira verò multis res visa est, & cujus ratio vix penetrari possit, cur Nitrum per se calidum & siccum, & quod si cum aliis combustibilibus misceatur & accendatur, fiat ignis, ut in pulvere pyrio bombardarum conspicuum est: Si verò cum aquâ confundatur, aqua evadat gelidissima. Utriusq; eventus causam Physici est perscrutari, & tametsi contrariæ vires nitri videantur, eas tamen conciliare. PHILIPPUS INGRASSIAS comment. in lib. 1. Galen. de arte Medic. hoc problema solvit per antiperistasin quandam. Cum aqua calefit inquit, propriè ac per se calida non est, sed frigida potentiâ suâ activa jam pollens, in actu primo frigida jam, b. e. ut ipse loquitur, secundum virtuales & habituales sive essentialis frigiditatem. Ipsa verò aqua, licet temperata, in summum frigus cum reducitur, reducitur à se ipsa, infuso & commoto sale nitri, non ab hoc, nisi per accidens, siquidem hujus, temperie calidâ & siccâ donati, potius est calefacere, non refrigerare. Sal nitrum enim potentiâ satis propinquâ igneum est, quod in pulvere tormentario clucescit, sed in aquas injectum inq; minimas particulas divisum & agitatum, quia motus & attritio illud calidum igneum, quod erat in actu primo, ad secundum, ad operationem scilicet convocat, mirum non est, si actu secundo calefacere incipit, id quod, inquit INGRASSIAS, aqua frigida natura presentiens naturaliter, se ipsam intendit & recolligit in omnibus suis partibus secundum frigiditatem naturalem, ut possit tali jam surgenti calori contra operari: Sicq; ad summam pervenit actualem frigiditatem, expulsis actualis calidi in eâ præexistentibus partibus. IOANNES DONATUS SANTORUS in suis epistolis aliâ progressus est viâ, & ait, Sal nitrum componi ex partibus calidis & siccis, & frigidis & humidis. Cumq; hoc sal nitrum in aquas immersum, in minutissimas partes solvitur: penitus suam essentiam ac speciem deponit, h. e. calor & siccitas illius à frigore & humore extinguuntur, & ita sal nitrum exiit omnibus viribus dissolubilibus calidis ab aque frigiditate, remanentibus nitri terreis & aqueis atq; adeo frigidis saltem & insolubilibus partibus. LATINUS TANCREDUS l. 3. de fame & siti non longè abit, Sal nitrum ex contrariis compositum partibus autumans, aqueis salioze & frigidis in actu, cum universum in aquas solvatur, ut & calidis acribus & unctuosius particulis, potentiâ ignem accedentibus. Hinc facile

judicandum, salnitrum in aquas inspersum, commotum in minimas particulas dissolutum, quia flatulentum est & in balitum dissolubile & diffusibile ob substantiam calidam & siccam; secum foras in ambiens educere calorem illum, qui in aquis erat & illas fluidas reddebat. Quocirca aqua, ubi Salnitrum est dissolutum, maxime refrigeratur abeunte calore cum exhalatione salis nitri, quae foras prodit. Itaque aqua amoto peregrino calore per expirationem & evaporationem in naturam suam remanet, frigida nimirum. Accedit ad eam magis refrigerandam concursus partium Salis nitri frigidarum: accedit etiam flatulentus Spiritus terrenam & aqueam sapiens naturam, qui viribus perfrigerandi maxime pollet. Atque ob eandem rationem, quam frigus aquae naturale magis intendit nitrum, cum nive mixtum istud multo magis refrigerat: Ut si aquam vitro infusam in sale nitro & nive permixtis agita-veris, non solum frigidissimam contentam illam aquam redderis, sed ipsam etiam continens dura fiet glacies, ut nisi frangatur phiala, glacies sive gelu concretum a vase non separabitur. Ex quo nunc intelligendum venit artificium, quo poma eodem die adhuc ab arbore pendula, glacie circumvenienti inserta apparent, cum alveolo ligneo illa deponuntur, cujus fundum sale primum nitro (ita legi debet pro nigro, quod omnia exemplaria infecit) parum confuso & mox nive contegitur aliquoties inter se permutatis; ita aqua accipit undique circumiecta nivis frigus, quam sal acris mixtura vetat liquefcere in locis praecipue umbrosis, ubi trium circiter horarum spacio coit aqua, & si quae poma inserta sunt, haerent septa in glacie BARCLA-IUS l. 5. Argen. pag. m. 412.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ VARIARUM HALLUCINATIONUM in Philologia σποράδιον & per spicilegium hinc inde è V. L. D. Th. R. obiter ad complendas hasce pagellas congestarum, & ad ventilandum hinc propositarum.

I.


Maleferiatus magno numero doctissimi viri cum Horatio & Agellio X. 12. rectè dixerunt, impudenter stuporis & negligentiae à R. accusati. II. Falsum est p. 15. quod nemo
 ex

ex omnibus Philologis in Suidâ glossam mutilam Τόσι-
βις Θεός τῶν * tentâset hæctenus: *Insignis arrogantia R. cum*
ex notis Franc. Viguierii ad Euseb. p. 16. lin. 13. emendatio-
nem hanc cum iis omnibus, quæ posuit, exscripsisset. III. Fru-
strâ negatur p. 21. T. vitam signare, ut Θ mortem. vide Barth.
l. XXIX. c. 15. IV. Crines p. 46. apud Æthicum esse Græ-
corum κρηνὶς idiotismo seculorum infimæ Latinicatis
non credimus. V. Sesquibarbara gentis Sclavonica non
tantâ voluptate perfundere possunt bonos autores inter-
pretantium animos, quàm exquisitissimæ è quibusvis la-
tinè Græcève scriptorum monumentis acceptæ subtilita-
tes contra p. 55. VI. Rectiùs Dominus Bern. Bertramus
p. 69. Callicularium vel Gallicularium medium æstatis vel
hyemis in Isidori Glos. servavit, quàm R. Canicularium sub-
stituit. vid. Probus ad Satyr. IX v. 68. Juvenal. VII. Non
sordescunt nec volunt sordere, qui nolunt p. 81. credere Neni-
am esse cantilenam, quæ laudes contineret etiam vivi,
Et hoc in Acrone ad Horatium notari, qui disertim con-
trarium loquitur: Nenia laus est mortuorum, Et iterum:
Neniæ carmen lugubre, quod mortuis dicebatur: quicq;
ipsi nullo exemplo probanti accedunt, quòd Præfica non si-
gnificet mulierem lamentandis funeribus præfectam, sed, quæ
plaudendi quoq; det choro & comitatu concinentium
cuilibet modum. VIII. ὄρυμα p. 95. non quodvis ca-
pitale supplicium, sed infossionem rectè Hervetus in Cle-
ment. Alex. reddidit, ceu Jcti quoq; ut Freherus parerg. l.
2. c. 26. Quamvis enim carcer Et ergastulum quoq; Athenis
esset ὄρυμα Et ipsum tamen erat ὑπόγειον Et quasi aliquis
cuniculus infossus. Et profectò locus supplicii apud Athenienses
minus ad Romanos facit, quàm horum Sestertius ad Cartba-
ginem, quod ipse quoq; antea improbavit R. IX. Prover-
bium:

217
235
bium δακτυλῶ αὐτῶ p. 105. non omnes docti de vitæ huma-
næ brevitæ, quam vel digito mensurâ omnium minimâ
emeciare, explicant, nam alia sanè & mira est TURNEBI lib. 27.
c. 29. expositio, & Clarissim⁹ Dominus Præses in Antholo-
giâ ad huc aliter reddidit: digitum ceu verteris, hora est. In
Barthii adversariis ibidem allegatis non est lib. 54. c. 16. sed
c. 15. videre tamen debuisset R. & Cap. 16. l. 1. Ubi eadem cum
R. dixit Dominus Barthius. X. Non aded absorum est, uti
visum R. p. 117. Græcæ gentis regulum ex Apuliâ equum pe-
cisse, quo uteretur. Et nos in Germania equos Turcicos & Hi-
spanicos coëmimus. Et juvat conjecturam Salmasii, quia Ap-
pulum equum pro optimo accipere debemus, ut ait Scho-
liastes Horatii Cruquianus p. 357. XI. Non est in Scholiaste
Juvencalis testimoniū de coercitione puerorum facta cum
anguillarū cutibus p. 427. XII. Parco pro virario Germanorū
propria vox est, non Gallorum qui non vocant parque, nec Hi-
spanorum, qui etiam non dicunt un parc, Hallenses nostri die
wunder park, contra p. 316. XIII. Ineptior est R. expositio
de Alexandrinæ urbis regionum nominibus literariis apud Phi-
lonem, quàm interpretis communem, secundum literarum
primarū quinq; seriē, numerandi consuetudinē sequentis, contra
cap. IX. lib. I. variegatarum lectionum. XIV. Indagabilis
pro eo qui indagari nequit, malè pag. 8. usurpatur. XV. Qua-
ritur an D. R. sub signis ignorantiae in literis & erroribus
Professorum ipse quoq; militet per sinistrum operis sui auspi-
cium? XVI. Cur Tria R. insignia ejus præferunt, & an illa divi-
nitus prohibita: Rühmen/Nichten/& Rächen? an quòd
scripta ejus plurimos foveant & contineant

ER - RO - RES?

FINIS.



B.I.G.

Farbkarte #13

K.188^a

Q. 188^a = 37

II a
1236

(K1853684)

a w.
QUÆSTIONUM ALIQUOT PHILO-
SOPHICARUM
LANX SATURA

De
SOCIETATE CALEN-
DARUM, SIGNATURIS PLAN-
TARUM, MELLE SINE FUMO, ÆTI-
TE RESONO UT ET MILTITE, LIBRISQUE
KIRANIDÔN, AQUIS, NITRO ET ALIIS,

Nutu
DEI TER OPTIMI MAXIMI,
indultu
Senatûs Philosophici in Academia Lipsiensi,
SUB PRÆSIDIO
VIRI AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI
atq; EXPERIENTISSIMI

DN. ANDREÆ RIVINI, Hal. Saxonis
PHILOSOPHIÆ & MEDIC. D. P. P. C. P. CÆS. Colle-
gii Principis Subsenioris, & Academia Decemviri,
Præceptoris & Promotoris sui singulari observan-
tiâ colendi & observandi:

Apposita
ab
HENRICO ANDREÂ MENERINGIO, Magdeburg. Saxone, Sere-
niß. Dn. Administ. Magdeburg. Alumno & Mag. G.
Ipsis Calendis Decembribus, Loco & horis solennibus ventilanda.

Lipsiæ, Typis Hæredum Timorb, Hönii, Anno. M DC IL.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PUNICKAVIAN